

super thronum gloriæ suæ?
D. Cyprian. Filius hominis in claritate sua: tunc sedebit in throno claritatis suæ
Vatabl. Pagn. Cum venerit filius hominis in gloria sua, & omnes sancti Angeli cum eo, tunc sedebit in throno gloriæ suæ.
Arias n. 32. Et cogentur ante eum omnes gentes.
Syriacum. Et separabit eas vnam ab altera, sicut pastor separat oves ab hædis.
Clem. Alex. Ut agnelli stent à dextris suis.

EXPOSITIO IV.

106. **V**M venerit filius hominis. Id est ego ipse, ait Christus, qui in forma hominis vilis mundo apparui, tunc in eadem hominis forma in multa gloria me exhibebo; non ait: Cum ego venero; humilitatis magister cum de gloria ageret, per tertiam personam loquitur. Vide dicta superiori quæst. In maiestate sua: Syriacus super thronum gloriæ suæ. In ostensione suæ gloriæ, & maiestatis, in nube nempe fulgenti, & lucida. Syriacus legit: In charitate sua. Cum ad iudicium veniret de claritate facit; in iudicio enim omnia sunt clara, & manifesta: Et omnes Angeli eius cum eo. Cum ait omnes, aperte declarat, quod in die iudicij, ne vnus quidem Angelus manebit in cælo, sed vt ait D. Chrysofostom. *Calis euacuatis.* Et vt etiam notatur D. Hyppolit. de consummati. Mundi, & D. Anselm. in Lucid. Omnes omnino cum Christo descendunt honoris causa, tanquam famuli Dominum suum concomitantes. Vatabl. Pagninus legunt: Omnes sancti Angeli cum eo. Magnus Dominus cum se ostendat in gloria, non eam soli sibi retinet, sed etiam suis sanctis, ac benemeritis communicat, illiusque eos participes facit. Ex quo bene infert Hugo, quod in die iudicij, *Soli electi Christum videbunt placatum, quem reprobi videbunt iratum: nempe, quia hi à sinistris, illi à dextris.*
107. *Tunc sedebit super sedem maiestatis sue.* Vatabl. Pagninus: In throno gloriæ suæ. Per sedem, & thronum. Auator Imperfectus, Beda, Glossa, Interlinealis, Carthusianus, & alij interpretantur Ecclesiam gloriosam, quæ Dei sedes est. Origen, Perfectiores sanctos, siue Angelos vult dici Dei sedem, siue thronum. Allegorica est interpretatio; per thronum ergo intelligitur nubes ingenti splendore fulgens, ad figuram regij throni, ac tribunalis efformata, prout conuenit tanto muneri, quod Christus adimplet, & potestati, quam exercet.
108. *Et congregabuntur ante eum.* Illius nempe imperio ab Angelis excitantibus, & conuocantibus tuba, ac voce magna, vt superiori expositione diximus: *Ante eum*, vt ait Apostolus, vt *stabimus ante tribunal Christi.* Rom. 14 n. 10. *Ante eum*, non à tergo iudicis, vel latere, sed ante eum, omnia enim erunt manifesta in conspectu eius,

Syriacus.

Chrysof.

Vatabl. Pagnin.

Hugo.

Imperfect. Beda. Interl. Origen.

Rom. 14.

nudaque illius oculis. *Omnes gentes: non ait homines, sed gentes, vt facilius consideres iudicandorum multitudinem, ac varietatem, nulla erit gens tam barbara, ac remota, quæ à Christi iudicio effugiat. Omnes enim homines ab Adamo vsque ad vltimum hominem, siue magni, siue paruuli, siue infantes in ætate, & statura virili, vt ait Apostolus Ephes. 4. n. 13. In virum perfectum, stabimus ante tribunal Christi, separabit eos ab inuicem, in duas distinctas partes, & ordines, secundum merita, vt inquit Carthusianus, & Hugo. Ac proinde secundum merita vnus cuiusque illi assignabit locum: sicut pastor segregat oves ab hædis. Ministerio nempe Angelorum eos separabit. Sicut pastor, non sicut lanio; nam laniones separant immisericorditer ad mactandum; ac pastores sepe dolore, ob teneritudinem, qua afficiuntur erga pecudes, quas nutrierant: sic Christus Dominus separabit bonos, & malos, vt iustitiam exerceat: sed separabit tanquam pastor suarum pecudum vicem dolens.*
Et statuet oves quidem à dextris. Sicut enim dextera Symbolum est honoris, gloriæ, ac felicitatis; sic & sinistra denotat opprobrium, miseriam, & infelicitatem. Addit D. Thom. à dextris: in nobiliori, excellentiori, ac superiori loco, in aere nempe erunt electi, vt inde cum Christo cælum ascendant. *Rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera.* 1. Thessal. 4. n. 16. reprobi verò erunt à sinistris in loco ignobiliori, in inferiori, ac viliori, terra nempe, vt inde hiant terra os suum absorbeantur in æternum in tartara.

Ephes. 4. Per merita dantur loci. Carthul. Hugo.

109.

D. Thom.

1. Thess. 4.

QVÆSTIO XVI.

Explicatur maiestas Christi venientis ad iudicium cum suis Angelis.

X multis elucebit ingens maiestas Christi Domini in iudicio. Primò ex præuio, ac horrifico clangore tubæ. *Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* 1. Corinth. 15. num. 52. Iudæi ad bellum conuocabant tuba. Num. 10. num. 1. Et eadem etiam dies festos indicabant teste Iosepho lib. 5. de bello Iudaico cap. 9. Hinc Christus Dominus ad iudicium venit præcedente tuba, tanquam reprobus denuntians bellum, vt in æternum puniantur, & iustis indicens æternam festiuitatem gloriæ.
 Secundò. Ex præuia voce magna Angeli vocante ad iudicium: *Cum tuba & voce magna.* Matth. 24. num. 31. & Ioann. Apocal. 1. num. 10. *Audiui post me vocem magnam quasi tubæ.* Et vox insonabit. *Surgite mortui, & venite ad iudicium.* Et ideo vox magna pro ingenti affectu, quia ad omnes spectat, & omnes tangit.
 Tertio. Ex præuiis fulguribus, tonitribus, ac procellis, & terræmotibus iuxta Psalm. 96. n. 3. *Ignis ante ipsam præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Illuxerunt orbi terre, vidit, & commota est terra.* Quarto. Christus manifestabitur in corpore glorioso, ac magis rutilante, quam Sol. Vt loquitur Isaiæ 24. n. 23. *Erubscet Luna, & confundetur Sol cum regnauerit Dominus exercituum.* Qui locus in sensu mystico hic potest explicari. Quintò, quia veniet in nube lucida, ac fulgida maxime radiante. Sextò, quia ante Dominum conuocabuntur omnes Pontifi-

110.

1. Cor. 15.

Ioseph. Iniquis bellum iustis felicitas denuntiat.

111.

Matth. 24. Apoc. 1.

112.

Psalm. 96.

Isai. 24.

ces, Imperatores, Reges, ac principes. Septimò, eos omnes iudicabit Dominus, non vt alios subditos, vt faciunt iudices, ac ministri regum, sed eos iudicabit, vt proprios subditos, in quos habet valdè peculiare, ac superexcellens ius, vt eorum Creator, & Saluator.
 Octauò. Veniet Dominus cum cunctis omnium Angelorum legionibus, ita vt omnes descendant cum Christo, & ne vnus quidem remanebit in cælo. Et existimo cum Suar. tom. 2. ad 3. part. disp. 57. sect. 3. §. Secunda circumstantia, quod Angeli venient in lucidissimis corporibus assumptis ex aere: alioquin ipsi Angeli Christum stipantes non poterunt videri ab impijs, & reprobis.

113.

Suar.

114.

Hebr. r.

Philo.

Gen. 28.

115.

Procopius.

116.

August.

Matth. 19.

Homo iudicatus habeat se alienum ab affectu veluti Angelus.

117.

uè dicuntur plures dij, homines nempe, prout in iudiciaria potestate diuinarum proprietatum aliquid participant, sed cum Moyles iudex Pharaonis constituitur, illius etiam Deus nuncupatur, qui iudex creatur, Diuinam naturam debet imitari, vt nihil de humanis vitijs trahere videatur, sed sine vlla corruptelæ suspitione integritate conspicuus sit, vt quoddam Diuinitatis vestigium redolere videatur. Philo lib. de Sacrificio Cain, & Abel. *Deum cum constituit, totam corporis regionem, auctingens eius intellectum subiiciens ei, iubensque seruire, inquit enim, do te Deum Pharaonis, in Deum autem, neque subreptio cadit, neque appositio, cum sit plenus, & semper sibi ipsi superior.*

Index Deum imitatur, Philo.

Et addit Deus: *Aaron frater tuus erit propheta tuus.* Vt nempe cum Pharaone verba habeat, cur hoc non præstabit Moyles, sed interpres et assignatur Aaron ad colloquium cum rege. Rupertus ibi, ac si dicat Deus Moyli. *Noli cum Pharaone verba protelare.* Interdicitur Moyli, vt cum reo non habeat colloquium, ne ex sermone commercio, rigor iustitiæ tantisper mitescat, & aliquid de exacta integritate minuatur.

118.

Ruperti

QVÆSTIO XVII.

Quare iusti cum separantur, ouibus comparantur, reprobi verò hædis?

B optimo rege separantur oves ab hædis; iustitia dictante ac exequente hanc separationem; de rerum curatione, ac earum separationem, quam Deus inter eas constituit rectè dixit Tertullianus lib. 2. contra Marcion. cap. 12. *A primordio creator tam bonus, quam & iustus: pariter vtrumque processit. Bonus eius operata est mundum, iustitia modulata est.* Et paulò post hanc iustitiæ modulationem fuisse ipsam creaturatum separationem explicat, dicens. *Iustitiæ opus fuit, quod inter lucem, & tenebras separatio pronuntiat est; inter diem, & noctem, inter cælum, & terram; inter orbem, & paradysum: omnia vt bonitas concepit, ita iustitia distinguit.* Ac si diceret, non solum diuina misericordia creando, sed etiam diuina iustitia separando in primo orbis exordio præluxerunt; sic & in presenti misericordia in electos respundet, iustitia in reprobos, & inde eos ab inuicem separat, ac fecernit.

119.

Tertull.

Quæstio tamen præsens est, cur boni cum ouibus, mali cum hædis comparantur. Origenes homil. 34. Theophylact. Euthym. & Isidor. Pelusiota epist. 288. inquit, boni per oues significantur ob modestiam mansuetudinis. At inquit Origenes: *Hædi dicuntur mali, qui dura, & aspera saxa ascendunt, & per præcipitia eorum incedunt.* Id est non recta, & plana via incedunt, sed vt ipsi dicunt in sapientia ambulauimus vias difficiles.

120.

Origen.

Secundò. Rectè iusti comparantur cum ouibus, seu vt legit Clemens Alexandr. agnellis, quia sunt mites, modesti, ac quædam obedientiam expriment. *Sicut ovis ad occisionem ducitur.* Isai. 53. num. 7. At verò reprobi comparantur hædis. Ait Albert. Magnus: *Hædis indomitus, scendentibus alta, deprecantibus virida ramorum: & cornibus acutis, & altis impingentibus.* Hædi sunt indomiti, inobedientes, & alta scandentes; sicut iustus rectè significatur per obedientem, &

121.

Isai. 33.

Iustus obedientia, iniquus inobedientia exprimitur.

humiles

humiles oues, sic & reprobus per inobedientes, & superbos hædos. Expende illud, & ferentibus. Nam sicut virtus dat bonum odorem, ita & vitium malum.

122.

Tertiò. Agnus castum, & purum denotat, hædus verò libidinosum, ac luxuriosum significat, vt canit D. Alcuin. lib. ad sororem, *Lasciuos castis hædos fecerit ab agnis.* Cur tamen Dominus omnem damnatorum colluionem sub hædorum nomine concludit? Cur non potius eos leones, tigrides, lupos, & vulpes nominauit, cum multa vitia hæc animantia referant, quibus omnibus reprobi erunt infecti? vt innuatur causam, ac originem omnium ferè damnatorum esse luxuriam, qua maior hominum pars in gehennam tuit.

Luxuria damnationis origo.

123.

Chrysof.

Quartò. D. Chrysofomus homil. 80. *Vt hac appellatione, ait, mores viriúsque partis aperiantur; cum alij hedorum, alij ouium nuncupatione nominentur: vt aliorum sterilitas, qua nihil ab hædis producit, aliorum fertilitas ostendatur. Vberes enim, & multi ab ouibus fructus proficiuntur, à lactis copia, ab elegantia lana, & à factu, quibus omnium hedorum genus omnino caret. Inde boni per oues exprimuntur, quia habent multos fructus in vitam æternam, quibus carent reprobi, tanquam hædi, & ideo vt rectè notat D. Hieron. Non dixit capras, quia possunt habere fœtus; hædos dixit, quia steriles; non verò captas, quia fœcundas; vbi fœcunditas apparet, non malè audit apud diuinum iudicem.*

Nota praeferunt alios in fide generare.

124.

Psal. 77.

De Dauide cantatur. *De post fecerantes accepit eum.* Psal. 77. n. 70. Valde mirum videbitur, quod de post fecerantes Deus sibi tollat, & eligat ducem, & regem populi sui, nam tunc fecerantes sine pastore manserunt, proindeque multis periculis expositæ erunt; quamuis earum pastor assumatur ad regnum, cum oues essent fecerantes, ipsa earum fœcunditate saluæ & custoditæ erunt, non enim potest esse desertus, ac derelictus à Deo, qui populum suum nono fœtu multiplicat, ac datat. D. Bruno. *Cum vocat illos, ait, quos prius regebat fecerantes, inuit, quoniam eos non deseruit: inuisum enim esset, cum fecerantes essent, eos deserere.*

Brano.

Matth. 24. Tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt, venite benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.

Num. 35. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me.

Num. 36. Nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.

VERSIONES.

Vatabl. n. 34. Tunc dicet Rex his, qui à dextera sibi erunt.

Arabic. Pagn. Accipite hæreditate paratum vobis regnum ab exordio mundi.

S. Valerius. Venite filij Patris mei, possidete mecum promissum vobis regnum.

Clem. Alex. Venite ad me benedicti Patris mei.

Arabicus. Ante constitutionem mundi. D. Athan. lib. Agite benedicti Patris mei contra Arrian. pro hæreditate vestra possidete regnum præparatum à primis mundi fundamentis.

Syriac. n. 35. Esuriui enim, & dedistis mihi, quod manducarem: ac sitiui, & propinastis mihi.

Vatabl. Peregrinus eram, & hospitio accepistis me.

S. Cyprian. de Potastis me, hospes fui, & adduxistis me.

D. Cyprianus. Nudus, & texistis me.

Arius. Amicuiistis me: ægrotauit, & visitastis me.

Syriacus. In domo vincitorum eram, & venistis ad me.

D. Hilar. In carcere fui, & liberaastis me.

EXPOSITIO V.

VNC. Distributi cum sint boni, & mali in duos ordines; dicit Rex habens in fœmore suo scriptum, Rex regum, & Dominus Dominantium. Apoc. 19. n. 16. Supra nomine filij hominis nuncupatus est, quo ipse valde notus erat, & quo se manifestabat, quod idem erat, ac ille, qui inter nos conuersatus, mortuus, ac crucifixus est, vt illi, qui clementiam filij hominis contempserunt, rigorem regis seueritatis experiantur: *His, qui à dextris eius erunt.* Id est electi, ab his incipit tanquam excellentioribus, ac dignioribus. Venite, seu, vt legit Clemens Alexandrin. Venite ad me: Sancti Dei electi, merito insignes, & Dei familiaritate dignissimi, cum vident Christum regia dignitate fulgentem non se eius lateri insinuant, sed longè à Rege altant, ita vt opus sit, vt eis dicatur. Venite benedicti; At contra reprobi dicuntur. *Discedite à me;* reprobi multorum criminum rei, cum viderent Christum regali purpura nitentem ipsi appropinquant, tanquam intendentes se regio lateri, ac conspectui ingerere hæc dixi, vt hoc morali documento innotescat ingenium iustorum, & iniquorum: iusti, ac benemeriti præ humilitate à regio lateri se elonginquant, cui maximè præ ambitione se volunt insinuare impij, vt omnes dignitates præcipiant.

125.

Apoc. 19.

Clem. Alex.

Reprobi se ingerunt regio lateri, & quo benemeriti volunt elonginquantur.

126.

Ephes. 1.

Origen.

Eminentia benedictionis.

Benedicti Patris mei. Dilecti, prædestinati, ac benedicti à Patre meo. Benedixit omni benedictione spirituali in caelestibus. Ephes. 1. n. 3. singulariter eos benedictos Patris sui nominat. Origenes tract. 34. in Matth. Vocat autem, ait, illos benedictos Patris, addito benedicti Patris mei, vt eminentia benedictionis eorum manifestaretur. Cum Pater author

Rabbanus.

Arabicus. Chrysof.

Arabicus.

Chrysof.

127. Syriacus. Vatabl.

128.

Origen.

Ennod.

129.

author benedictionis declaratur, apertè manifestatur non mediocrem, sed magnam futuram esse, proindeque illos nobilissimis donis ditandos fore. Deinde vt ait Rabbanus in Catena: *Ad eum refert potestatem regni, à quo est ipse rex genitus.* De suo more non dicit benedicti mei, sed Patris mei, omnia sua, ac suorum ad Patrem refert. Possidete, seu vt legunt Arabicus, Pagnin. Accipite hæreditate, tanquam hæreditatem vestram. D. Chrysof. homil. 80. *O quanta gloria, ait, quantæque beatitudinis hæc verba sunt: nec dicit accipite, sed hæreditate, quasi propria quasi paterna, quasi vestra, qua vobis à principio debentur.* Voculo hæreditatis duo denotantur. Primum, quod vt filij: si filij & hæredes. Secundum, quod stabili, ac perpetua possessione fruatur regno: *A constitutione mundi.* Arabicus legit: ante mundi constitutionem. Sicut & scribit Apostolus ad Ephes. 1. n. 4. D. Chrysofomus, homil. 34. in Gen. Vide, ait, bonitatis Dei excellentiam, quanta ergo nostrum genus misericordia vsus sit, vt & ante iacta fundamenta mundi, nobis regni calorum fruitionem præparare dignatus sit. Et homil. 1. in epistol. ad Titum: *Ostenditur, ait, ex his, nobilitas nostra, quod non nuper, sed olim, atque ab ipsis initijs dilecti sumus.* Vnde cum dicitur paratum regnum intellige, ab ineffabili misericordia, ac pietate erga nos.

Esuriui enim, & dedistis manducare. Seu, vt habet Syriacus, quod manducatem: Sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, seu vt legit Vatabl. peregrinus eram: Et collegistis me. Seu adduxistis in domum vestram, vel aliam, vt ibi hospicio reciperetur. Omnia bona opera iustorum sunt à Deo præmianda in iudicio: sicut & mala iniquorum punianda, vt ipsemet Christus dixit supra Matth. 16. n. 27. *Filius hominis venturus in gloria Patris sui cum Angelis suis, & reddet unicuique secundum opera sua.* Hic tamen vna species honorum operum pro toto genere ponitur à Christo Domino, & opera charitatis, ac misericordie in medium afferuntur, ipsa maximè hominibus commendare volens; vt dicam latius quæst 19.

Nudus & cooperuistis me. Sex præcipua misericordie opera numerat Christus, scilicet esurientes cibare, sitientes potare, peregrinos hospitio excipere, nudos vestire, infirmos, visitare, incarceratos solari, ac liberare. Sic Dominus suorum iustorum merita præmianda proponit, & amplificat. Vt notat Origen. in Catena D. Thom. *Boni iudicis erat, ait, benefacta quidem hominum largius prædicare, & amplificare.* Cur tamen Dominus beatorum merita sic exaggerat ac declarat; vt inde meritum titulo æternæ beatitudo data firma in perpetuum habeatur, nam apud homines beneficium ex amore non merenti datum, facile cessat, & abiit. D. Ennod. lib. 3. c. 11. *Non infinis rationibus mititur amor indebitus; & cito ad examen reducitur; quidquid gratie aura subripit.*

QVÆSTIO XVIII.

Quare Christus prius præmiat electos, quam puniat reprobos?

PRIMA, & litteralis ratio, vt dixi in expositione, quia electi digniores sunt reprobis.

Secundò respondet D. Chrysofomus, in Imperfecto. *Quia, ait, paratior est Deus semper ad benefaciendum. Nam bona bonis secundum propositum suum præstat quia bonus est: malus autem mala contra propositum suum facit inuitus; quia iudex est. Quid autem homo contra naturam suam agit, pugnat agit.* Deus valde pronus est ad benefaciendum, ac præmia largiendi, & ideo à iustorum remuneratione, tanquam ab opere sibi maximè conuenienti incipit. Secundò autem loco procedit ad puniendos reprobos tanquam ad rem suæ naturæ alienam.

Chrysof.

Deus pronus ad misericordiam.

130. Bernard.

Visa electorum gloria puniuntur reprobi.

Tertiò. D. Bernardus, serm. 8. in Psalm. 90. *Primo, ait, benedicti vocabuntur in regnum, quam maledicti in caminum deiciantur ignis æterni: quo videlicet acris doleant videntes, quid amiserant.* Vt impij durissimè puniantur, iustorum audiri gloriam, nam vt ait D. Gregor. homil. 40. in Euangel. *Vt peccatores in supplicio amplius puniantur; eorum vident gloriam, quos contempserunt.* Primum, & durissimum tormentum in eos infligitur, ex præposita electorum gloria. Vide multa verbo: Inuidia.

Quartò. Quare non prius damnantur reprobi, & postea digna felicitate diuinæ munificentie cumulantur; ad iustorum felicitatem spectabat, vt eorum sententia cito proferretur, & minime in suspensa perplexitate diu versarentur; nam animi suspensio quoddam tormenti genus est. Confirmatur ex dicendi modo supremi regis in præfenti, ait. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui, &c.* Prius assignatur præmium; *Venite benedicti, possidete regnum, &c.* Et postea referuntur merita, *Esuriui, & dedistis mihi manducare.* Sitiui in paupere, &c. Cum tamen communis iudicialis ordo sit, vt prius merita proponantur, & postea condigna merces retribuatur; Cur ergò Diuinus iudex hunc ordinem non seruat, sed à præmio incipit; Inuertitur ordo, ne electorum animus in suspensa perplexitate versetur, ne aliquantulum anceps videatur, nam si animus suspensus fluctuat, diro tormento cruciatur. Vide supra in hoc cap. n. 71. q. 10.

131.

Animi suspensio quoddam tormentum est.

QVÆSTIO XIX.

Quare inter præclarissima virtutum facinorosa solum de operibus misericordie facit Dominus mentionem?

IN limine huius quæst. aduerte, quod inter sex misericordie opera, quæ Christus Dominus hic apponit, vt notauit in expositione, de sepultura tamen eximium pietatis opus nullam mentionem facit. D. Chrysof. homil. 84. *Vt intelligas, ait, nihil cura hac Christo esse; ait, esurientem me vidistis, & dedistis mihi manducare: sitientem, & dedistis mihi bibere. Nudum, & induistis me, non autem mortuum, & sepelivistis me. Quod ego non vt sepulturam tollam, dico, absit; sed luxuriam, & superfluam ambitionem. De sepultura non facit mentionem, non enim ait, mortuus fui, & sepelivistis me? Nunquid sepulturæ officium ei displicet? Absit, sed voluit vanos sepulchrorum, funerumque sumptus ab hominibus mente auferre. Quod ego non vt sepulturam tollam dico, absit; sed luxuriam, & superfluam ambitionem.* Deinde sapienter Magister Baëca, tom. 4.

132.

Chrysof.

Funerum ambitio eius tanda.

Baëca.